IOHANNIS-PETRI LOTICHII,

DE CASEI NEQUITIA,

TRACTATUS

Medico-Philologicus novus.



FRANCOFURTI AD MOENUM.

Typis & ſumptibus Johannis Friderici Weiſſii.

ANNO M DC XLIII.

Google

Nobiliſſimo, Ampliſſimoq;,
Viro,
Dn. Hectori-Wilhelmo
à Günterod,
Reipubl. Mœno-Francofurtenſis præfecto, ac Prætori, digniſſimo, Fautori meo plurimûm obſervando.

IAmpridem eſt, cum obſervantiæ ergaTe meæ publicam aliquam in medio tabulam extare cupio, *Nobiliſſime Hector-Wilhelme, Günterodiorum* decus, Reipubl, patriæ ſydus! Poſteaquám n. variis apud vos in foro moleſtiis agitari, vexariq;, cœpi, videor mihi velut

aliquo in portu navigare; ubi, ad alloquium tuum admiſſus, verbis ab ipſa Humanitate, ſive Charitæa, profectis, ſæpenumerò recreare, animumq; confirmare, ſoleo. Tanti illud eſt *Platonis*, Respublicas tùm beatas eſſe, profitentis, ubi aut Reges philoſopharentur, aut philoſophi regnarent. Tanti erat illud olim, ut res Romana, tempeſtate iſtâ *Catilinariâ*, ſalva eſſe haud potuiſſet, niſi, *Ciceronem*, conſulem, ac protectorem, eumq; *Philoſophum*, inveniſſet. Tanti, inquam tritum eſt illud, vel penes *Ovidium*, acerrimum illum ingeniorum cenſorem:

——————*Didiciſſe fideliter artes:*
Hoc enim, hoc, ajunt,
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Scili-

Scilicet illud erat, ut ſive Rex, ſive gubernator civitatis aliquis, eruditione, ac literis, tinctus rectius, laudabiliuſq; , imperaret, melius curvum recto diſcerneret, citius, quid diſtent æra lupinis, cognoſceret, atq; plebeius alius, livore magis, quàm literis, imbutus, audaciâ magis, atq; inſolentiâ, quam modeſtia, ac facilitate, præditus. *A*ſpice enim, ſi magiſtratus, & dominium, Reipubl. cadat in avarum, ferocem, impotentem, literaſq; atq; ipſam humanitatem, averſantem, hominem: Dii, Deæq; ! quæ rerum in foro facies, quæ minæ, quæ verba inepta, auſtera, horridaq;, & cuivis bono intolerabilia, plerumq; emergere conſuevêre? Uſq; adeò feræ iſtæ mentes, præeunte

vel *Petronio*, nivibus *Alpinis* comparantur, ubi perpetua hyems, atq; aſperitas, ſtabulantur, neq; ullo evinci ingenio ſuſtinent: vice verſâ verò cum eruditioribus, literiſq; excultis, ingeniis paulò aliter ſeſe res habet. Ea n. ita facilè prælabitur, eaq;, inſtar agri, raſtro, & vomere, ſubacti, duritiem, aſperitatemq; haud admittunt. Quid multis? Vero veriora eſſe illa, quibus de jam dicere cœpi, vel Tute, egregio tuo, exemplo probas, *vir Ampliſſime!* Tu n. tantumnon nobili, ac patritio, ſanguine familiam ducis, ſed apud patriam eruditione flores, virtute emines, pietate (quæ virtus omnium & maxima, & tutiſſima) radias, humanitate excellis, comitate triumphum ducis, ut

ipſis illis dotibus, Te velut humeris ſuis attollentibus, ad ſplendidum illud in patriâ, eaq; ampliſſimâ, Reipubl. *Præfecti*, ac *Prætoris*, munus, ac faſtigium, evectus fueris. Quis igitur tantum Te virum non amet, cum ſis amabilis? Quis non collaudet, cùm omni laude ſis digniſſimus? Quis non veneretur, cùm ſis à virtute factus, eruditus, humanus, benignus, facilis?

Sed, ne quid auribus tuis dare videar, commodius in tempus hanc affectûs ergâ Te mei ſignificationem differre conſtitui. Interim, non potui non hancce velut, præliminarem emittere epiſtolam, rudiq; potius aliquo licet, horridoq;, donario benevolentiam tuam venerari, quàm nullo.

Opportunè a. accidit, ut *Diſcurſum*, ſuper *Caſei nequitia*, animi cauſâ à me nuper tentatum, librarius *Francofurtenſis* expeteret. Quòd ergò id ei negare nollem, tum hodieq;, in eſu *Caſei*, meâ quidem ſententiâ multum delinqueretur, viſum fuit, etiam ſuper agreſti, ac famoſo, hocce edulii genere quædam monere, eiusdemq; *nequitiam*, à vetuſtis ſcriptoribus inculcatam, veris lineis, ac coloribus, depingere. Utinam a. illud *Xenophontis*, quod habetur *Cyropædias lib. 1.* iſthîc mihi imitari uſu veniat! Tradit *Imperator*, & *Philoſophus*, ille clariſſimus, pincernas *Regum Perſiæ* pocula tàm ſcitè miniſtrare, ac delicate infundere, immò verò tribus digitis, pateram velut vehendo, ſic

ſic quidem offerre, ut hauſturo poculum, commodiſſimè capiendum, porrigant. Idem inquam, utinam & mihi hoc loco, more Aulis hodieq;, etiam nunc antiquato, uſurpare contingat! Eam n. prout apparet, materiam, de *Caſeo fœtente, putridoq;*, offero ut in re, tàm horribili, ac ſacrâ, opus ferè ſit artificioſâ, aliquâ exhibitione, ne fœteat, nauſeamq;, & ſtomachum, moveat, tùm tam tenero ungue, ne manûs inquinet, contrectari debeat. Quid igitur, inquis, mihi cum re fœtida? Certè, inquam ego, & *fœtida*, & *fœda*, inſuper iſta eſt! Non igitur tanquam amplectenda, ſed ad foſſores, & proletarios, rejicienda, proponitur. Noſti probè, *Vir Magnifice, Medicos noſtros* alio-

quin ſummis non minus *Magnatibus Febrium, Morborumq́;* variorum, immò *Toxicorum, Venenorumq;* etiam, curationes, deq; illis ſcriptos commentarios, offerre, eo videl. inſtituto, à morbis, periculiſq;, id genus ut caveant. Eadem planè mihi militat ratio. Dum n. agricolæ tui annuos ſive reditûs, ſive fructûs, promptuariis tuis inferunt, in iisq́; haud rarò, more gentis ruſticanæ, *lolium*, *legumen*, atq; *algas*, ſubdolè permiſcent: iſtos aliqua ex parte imitatus, etiam *Studiorum* meorum, hocce tanquam anniverſarium, in Muſæum tuum admitti cupio. Abſit interim, ut pro *tritico paleas*, pro *ſiligine*, *& granis*, *feſtucas*, *panicumq́;* inferam, ut potius, rem abjectitiam eſſe, apertè profitear: vel indè mul-

Digitized by Google

multum utilitatis ad *Nobiliſſ.*[m] *Ampl.*[m] *T.*[m] rediturum ſperans, ſicubi rigido iſto, frigidoq;, obſonii genere deinceps tete aut omninò, aut cautius, abſtinueris. Sicut n. is, qui quidem pernicioſum exhibet donum, haud donum, ſed venenum, dediſſe arbitrandus venit: pariter ille, qui dono, minimè dono, tanquam toxico, abſtinendum eſſe, docet, donum rectius inſinuâſſe, judicandus erit. Profectò ità eſt: vel *Xerxi*, Regum illi potentiſſimo, militem gregarium aquam paludoſam, ac fœtidam, è galea porrexiſſe: alteri cuidam *Regi Perſico Sinetam* quendam, aquam itidem, palmis è profluente hauſtam, obtuliſſe, gratumq; utrumq; *Regibus* maximis munuſculum, immò piam

magis

magis voluntatem pro munere fuiſſe ex *Aeliano* diſcimus, Affectus igitur magis, quam munus qualecunq;, favorem, ac pretium, meruit. Idemmet mihi quoq; ſicubi abjecto munuſculo obtinere liceat, eſt, quod gratâ intereà mente complectar: donec caloris, atq; obſervantiæ hujus meæ uberiores deinceps lineas ducam. Vale diu, & feliciter, patriæ, civitatisq; tuæ, Sydus amabile! *Prætor ſapientiſſime*! &, cum nobiliſſ. tua familia, ab omnibus id genus morbis, quos quidem *CASEI NEQVITIA*, ipſaq; *Morbona* inferre conſuevit, longum immunis *VIVE! FLORE!* Dabantur in Aula *Butsbaccenſi*, *poſtridie*.

Kalend. Majas, ANNO M. DC. XXXXIII.

Ab
Amplitud. T.
cultore ſtudioſiſſimo,
J P. Lotichio. D.

Errata.

Pag. 5. lin. 10. lege *Varro*. ibid. lin. 30. Sic. pag. 6. lin. 3 Sic. ibid. l. 27. *Seneca*. ibid. nuncupavit. Pag. 7. l. 13. exercuiſſem. ibid. l. 26. faſtidium. pag. 8. l. 1. QUADRATÆ. pag. 9. l. 1. HORRIBILEM, ibid. l. 19. l. 19. λιβανωτὸν βραδέα pag. 11. l. 14. *Siculo*. ibid. l. 30. Ἰυγόμισος. pag. 13. l. ult. (hoc ut addamus) pag. 14. l. 16. πῦρ. ibid. l. 22. maſſa. pag. 15. l. 6. *diateſic*. pag. 16. l. 15. Siquidem. ibid. l. 29. σκαλοφάγοι. pag. 17. l. 17. Sic. ibid. l. 20 *Veſtinis*. ibid. *Sabinis*. ibid. l. 26. Secundum. pag. 18. l. 3 Sicut. pag 19. l. 8. diſparitas pag. 20. l. 2. minus ibid. l. 21. ridere. pag. 22. l. 5. Stomachum. pag. 23. l. 11. efflatione. ibid. l. 29. ſchol. pag. 24. l. 23. Quod. pag. 25, *Sabaudi*. pag. 26. l. 2. parerat. pag. 33. l. 21. uſas. pag. 34. lin. 12. prout. pag. 36. l. 6. Sic. ibid. l. 18. effluvia. pag. 37. l. 6. putredinem. ibid. l. 13. accipit. p. 38. l. 17. Cùm. p. 39. l. 10. comperitur. pag. 40. l. 16. irritet. p. 42. l. 7. penè. p. 43. l. 12. (quem L. M. Q. omitto) ibid. l. 21. ſuperinductio. ibid. l. 24. Cum. p. 45. l. 3. Quia.

DE CASEI NEQUITIA Diſquiſitio *Medico-Philologica:*

THESIS 1.

TAnta fuit cognita etiam gentilium veterum in vita, ac moribus, (*a*) verecundia, ut *nequitiæ* (*b*) vocabula, reſq; nuptas (*c*) fœdas, atq; propudioſas, nominaturi, non ſine veniæ (*d*), pudoriſq;, præfatione, egreſſi ſint.

(*a*) Quæ fuerit, etiam priſcorum gentilium, verecundia, inter cætera ejuſce rei in medio relicta argumenta, vel illa *Romuli* lex coarguat: qui, in honorem muliebrem, hancce (legem) tulit: *Qui ſe Nudum à femina videri paſſus fuerit, criminis capitalis reus eſto!* autore Plutarcho, in vita Romuli; Poſterioribus ſeculis, omninò *Romanis legibus* interdictum erat, ne quis inter cives, vel in publico, *nudaret* corpus; accinente Ennio patre, apud Ciceron. Tuſcul. lib. 4. cap. 33.

A *FLA-*

FLAGITII principium eſt, *NVDARE inter cives CORPORA*.

Indè, vel in *Balneis*, illis ætatibus, gentibusq; quotidie uſitatiſſimis, uſuvenit, ut *VIRI á MVLIERIBVS* magnâ curioſitate, ſequeſtrarentur; anotante *Hieron. Mercuriali*, *de veterum gymnaſticis*, *lib*. 1. *cap*. 10. Ut obſervatum ſit, gentiles id genus homines majorem (quá *Balneas*) honeſtatis pudoriſq; habuiſſe rationem, quàm hodieq; faxint *Chriſtiani noſtri*: indicium faciente *Philip. Camerario*, *hiſtor. meditat part*. 1. *cap*. 33. Quid? quòd, *Ciceronis* tempeſtate, *filii puberes* cum *parentibus*, cum *ſoceris generi*, verecundiæ cauſâ, haud lavabantur: autore ipſo *Cic. officior. lib*. 1. *cap*. 35. Immò veró *ſcenicorum* hominum nulli licebat in *theatrum* venire, abſq; ſubligaculo. Ne caſu contingeret, partes eas corporis, quas *Natura, ac pudor*, tegit, indecoré aperiri, conſpiciq;: *eodem ibidem* referente. Confer, olim etiam *milites*, atq; *officiales*, ſicubi *Balneis calidis*, rebus utiq; mollibus, delicioſis, ac pudibundis, uterentur, á *Romanis* illis *Imperatoribus* exautoratos, ſuaq; dignitate privatos, fuiſſe, apud *Polyænum*, *ſtratagem. lib. 6. de Scipione, ac Philippo*: cui ſuccenturiatur *Sozomenus, Eccleſiaſt. hiſt. lib. 1. cap. 13. de S. Antonio* (*b*) Iidem veteres, tantoperè caſtas *puerorum* aures cavendas eſſe, inculcârunt, ne quid inverecundi á parentibus magiſtriſq; illis inſtillaretur: præeunte Juvenali, ſatyr. 14. v. 30.

Nil dictu fœdum viſuq;, hac limina tangat,

In-

Intrà quæ PVER eſt; procul hinc, procul indè puellæ
Lenonum, & cantus pernoctantis paraſiti:
MAXIMA DEBETVR PVERO REVERENTIA: ſiquid
Turpe paras, nec tu PVERI contempſeris ANNOS,
Sed peccaturo obſiſtat tibi filius infans.

Confer *Horatium Carm. lib.* 3. *od.* 24. *Hieron. Vidam, poëtic. lib.* 1. *p.* 217. Rectiſſimè antè illos, præcipiebatur, ne ad *Adoleſcentes* fierent *VERBA NEQVAM.* Ne ſcil. accedente ad vehemẽtem in eis libidinem levitate, atq; incendio, omninò redderentur intemperantiores apud *Xenophont. Cyropæd. lib.* 1. (*c*) Ita *virilia*, ſive partes, licet generationi humanæ neceſſarias, apud *Ægyptios*, verecundiæ, ac pudoris, cauſâ, in ſecretis, ac myſticis, fuiſſe, teſtis *Diódor. Siculus, bibliothec. hiſtor. lib.* 1. *Ità Poëtarum Latinorum*, inprimis *Epicorum*, facilè princeps, *Virgilius*, quòd *Animalium* generationes, *Equarum* in primis furores, ut etiam *Æneæ, ac Didus*, conſuetudinem, modeſtiſſimo carminis filo, abſq; caſtarum aurium offendiculo, repræſentâſſet, à veteribus, ob modeſtiam, moresq; verecundos, dictꝰ eſt *parthenius*, ſive *virgineus*: referente *A. Gellio, Noct. lib.* 9. *cap.* 10. & diligentiſſ. polyhiſtore, *Io. Raviſio, epith. epit. p.* 253. Quid? ꝙ ipſemet *Petronius Arbiter*, philologorum hodieque coryphæus ille, (cujus aliâs, ut ajunt, petulantia á multis temerè damnatur) generationis humanæ

inſtrumenta tam modeſto, atq; eleganti, verbo-rum circuitu circumlocutus eſt, ut honeſtiùs vix potuerit. Modó n. (ſequeſtratâ omni ſive obſcœnitate, ſive vilitate) vocat *partem, quâ viri ſumus*: modò *partem, quam nec nominare quidem inter res ſerias fas ſit*, indigetat: modó deniq; *eam corporis partem* appellitat, *quam ne ad cognitionem quidem admittere ſeverioris notæ homines ſoleant*. Ergone, inquam ego, penes huncce *Petronium* exulabit omnis verecundia? Minimè verò. (*d*) Indè uſitatæ, ac familiares, apud optimæ notæ autores veteres, occurrunt *formulæ veniam deprecantes*, vel verecundiæ præfationem ingerentes: v. gr. *Hoc bonâ cum VENIA dixerim: cum PACE, & GRATIA, dixero*: Itemq; *cum PUDORIS præfatione: cum bona GRATIA, quod dicam*. Vulgò, etiam in triviis, de rebus pudibundis dicturi *veniam* præfari ſolent, iſtis ſub vernaculis verbis: Mit Ehrn zu melden: Item / mit Vergünſtigung: Mit Erlaubnuß / &c. Quibus de ſive veniam præfandi, ſive invidiam amoliendi, formulis, fuſius nobis actum eſt *Notis noſtris* ad illa *Petroniana*: *PACE VESTRA liceat dixiſſe, primi omnium eloquentiam perdidiſtis*.

II. Neq; verò intrà iſta ſaltem ceu vocant priapeia, & nuptas voces, pudor, ac modeſtia, antiquorum ſubſtitit, ut etiam retrimenta (*a*) atq; veſicæ humorem, (*b*) (cujusmodi, ſecundum naturam omni-

omnibus uſu veniunt) pudicé, haud pathicé, & per circuitûs, deſcripſerint.

(*a*) APud *Vegetium*, pro turpi: atq; inhoneſto, vocabulo, quo retrimenta corporis notantur, τὸ *Aſſellare* venit. *Marcell. Empiricus* ſimpliciter *ſellas* dixit, abs τῷ *ſedere*, quod idem eſt, atq; *aſſellare*. Qua *ſedentis* (ut parthenio utar verbo) facie *Phoebum* ſuum *Martialis, lib. 3. Epigr.* 88. *Veſpaſianum Imp.* verò *Suetonius* deſcripſit *lib. 8. cap. 20. Vareo*, vocavit *ſellas familiaricas* τὰς ἀφεδρῶνας. Idem, apud *Nonium*, rem turpiculam iſtis circumloqui cœpit: *RETRIMENTA CIBI, quæ exierunt per POSTICAM VALLEM. feci. Plautus*, pro *alvo*, ſive *ano*, nuncupavit *inferiorem gutturem*, *Aulul, act.* 2. *ſc.* 4. *Cato* verò, ad diſcrimen *alvi inferioris* ſive *ventris* prodidit, pro eo, quod eſt, *ventriculum*, nauſeâ gravem, *vomitu* exonerare. Quæ *Græci* περιττώματα appellârunt, *M. Tullius* indigetavit *Reliquias*: rem, oppidò foedam, honeſto vocabulo pronuncians. Eleganter, atq; erudite, de rebus turpiſſimis, quæ, abſq; aurium offenſione, produci nequeunt, honeſtiſſimâ periphraſi circum ſcribendis, inter cæteros, Georg Sabinus, poëta excellens, lib. de carminibus, artificioſé, ad veterum imitationem, componend. cap. 1. ante finem. ſic inculcavit: Quæ inquit, *ſine turpitudine nominari nequeunt, periphraſi efferenda ſunt: quemadmodum & ea, quæ videntur ſordidiora, ſic PETRVS BEMBVS, in carmine iocoſo, ubi facit loquentem*

cuſtodem hortorum, *vocat MENTAM PV-SILLAM, membrum illud*, *quod natura corpori affixit*, *procreationis cauſâ*, *ſic IACOBVS SANNAZARIVS partem poſteriorem verendam non minus venuſté*, *quàm verecundé*, *circum locutus eſt*, *his verbis*;

Undè prodeunt auræ,
Quæ de Sabæis meſſibus nihil ſpirant.

Et Virgilius, *ubi*, *de conceptione equarum*, *loquitur*, *ut rem*, *parum ſpeciosam dictu*, *honeſtius exprimat*, *ARVUM GENITALE vocat naturam equinam* Hæc *Sabinus*. Quis *Plautinam* illam periphraſin, quâ fœdam *alvi* ſubductionem notat non civilem, honeſtamq; dixerit? quæ occurrit Curcul. act. II. ſc. 3. v. 83.

Rogant me ſervi, *quò eam? ME, DICO,*
IRE, quò SATVRI SOLENT

(*b*) Pari, eâdemq;, verecundiâ uſi veteres, *urinam*, ſive *lotium*, inter ſeverioris notæ homines honeſte nominari haud poſſe, judicantes. *Lucretio* honeſtâ periphraſi dicitur *ſaccatus corporis humor*: quod in corpore humano quaſi ſacco percoletur. *Natural. lib. 6. Plinius*, inter ſigna mortis, refert *neglectum PRAFANDI HVMORIS* (id eſt, *urinæ* non niſi cũ honoris præfatione nominandæ) *effluviũ hiſt. natural. lib. 7. cap. 51. ſeneca*, *HVMOREM OBSCÆNVM* nũcupavit *de Ira*, *lib. 2. cap. 3.* Quiigitur nõ tam verecũdè quàm honeſtè *humorem* illũ, alibi *Seneca IMMVNDVM* dictum, alibi *Plauto ODORE IL-*

LÆTABI-

LÆTABILEM efferre maluerũt, pro eo excremẽto fætido, *AQVAM* poſuerunt: unde vel vulgus ait: daß Waſſer abſchlagẽ. Atq, , ut appareat, *T. Petrõ.* verecnndiſſimis verborũ formulis uſũ eſſe, eccam illius honeſtatem! qui, velut *proverbii* loco, introduxit pro *lotio*, *AQVAM*: ut *Palinurum*, vel eum, qui lotium reddere velit, *AQVAM PETERE* dicat. Verba, (ſive modeſtià) ipſius, ſub *Eumolpii* perſona, iſta quidem ſunt: *Profuit etiam*, inquit, *Eumolpo miles ille, qui mihi abſtulit gladium: alioqnin quem animũ adverſus Aſcyltum ſumpſeram, eum in Eumolpi ſanguinem exercuſſem. Nec feſellit hoc Gytona. Itaq; extrà cellam proceſſit, TANQVAM AQVAM PETERET, iramq; meam prudenti abſentià extinxit.* Vide, ſi placet, ſuper hoc loco, *Notas noſtras!* Tenerrime igitur, atq; oppidò civiliter, præcipiunt recentiores, hujus, & ſuperioris, ſeculi autores, videl. ſiquis, inter accumbendum, ad *AQVAM PETENDAM*, conſurgat, ne, dum ad convivas revertitur, frigidam, pro abluendis manibus, poſtulet. Eo. n. ipſo rei immundæ, ac turpiculæ, recordationem, imaginationemq; , repræſentari, oggerunt, quâ, ad animum duntaxat admiſſâ, facilè epularum, omniſq; in ſympoſio venuſtatis, faſtdium obrepere ſuſtineat. Quibus de, inter cæteros, conſulendi *Guazzonius, lib. de civili converſat*, & *Galateus, de moribus. Imaginationem* a. rei fœdæ atq; adverſæ, tantarum eſſe virium, ut é *purgantium pharmacorum*, maxime, ſub *BOLI*, aut *POTIONIS*

ONIS QUADRATA, *à Medicis* quibuſdam, ceu vocant, *puritanis*, ſive *puré Galenicis*, præſcriptorum cujusmodi hodieq; in pleriſq; *Italiæ*, *Galliaq;* imò aliqua etiam adhûc dum ex parte, *Germaniæ* noſtræ *Academiis*, atq; *Emporiis*, antiquato ſunt in uſu,) recordatione ſaltem, vel intuitu, nondum prehenſo poculo, per *ſuperiorem gutturem*, immò ἄνω, καὶ κάτω, ut vocant, complures etiam dejicere uſu veniat : arguente *Ioan. Beguino tyrocin. Chymic. cap.* 1. *pag.* 10.

III. Proinde, nos, de re, manifeſte fœda, graveolente, immunda, putidâq;, (CASEO, inquam,) dicturi, haud, abſq; veniæ præfatione, progrediemur: Ab iſta hancce telam (*a*) exclamatione exorſi:

O DIVI ! HORRIBILE, & SACRUM, COLOSTRUM.

Operæ pretium judicantes, thure (*b*), ac ſuffitibus, ſive manûs, ſive hanc ſcenam, inſtruere, ne quis, rei immundiſſimæ imaginatione, animo aut fortè deficere, aut juxta aquas inducere, ne, tanquam ex (*c*) *Augiæ ſtabulo*, rei *illatabilis* odor *Nares, Cerebrumq;*, ferire, (*d*) *ſpiritusq;* intercludere, poſſit.

(*a*) EA exclamatione, ſuper *Calvi poëtæ* carminibus, uſus Catullus, Carm, 14.

Dii

Dii magni HORRIBIEM, & SACRUM, libellum!

Pariter *Avaritiam*, utiq; rem flagitiam, κατ' ἀντίφρασιν vocavit *ſacrā Virgilius, Aë. lib.* 6. tāquam minime *ſacram, ſed horribilem*; quam veris coloribus depingit *Claudianus, in Rufin. lib* 2. *v.* 220. Eodem locutionis genere *Medici noſtri Epilepſiam* vocitare ſolent *Morbum ſacrum*, id eſt, *horribilem, horrendumq́;* : Vulgo appellitant hodieq;, κατ' ἀκρίβειαν, die ſchwere Noth / ſchwere Kranckheit. (*b*) *Thure*, quod etiam in altaria, & ſacrificia, venit, tetros odores fugari, in confeſſo eſt. Eo *Diis* nihil gratius, vel antiquorum ſententiâ: confer *Plinium, lib.* 12. *cap.* 14. *Hermol, Barbar. comment, in Dioſcorid. lib.* 1, *cap.* 82. *Cal. Rhodigin lect. antiqu. lib.* 22 *cap.* 9. *Thus*; igitur ſicut narib9 gratiſſimum, ita fœtoris, rerumq;, graviter olentium medicina etiam; vel alludente eo *Chremylo*, apud *Ariſtophanem, in Pluto*, ubi impurus nebulo inquit: Οὐ λιβανωτὸν σφόδρα: *Equidem THUS non pedo*. Id quod á *Deſ. Eraſmo, in Adagiis* ſub titulum *philautiæ* venit: cum rectius, mea quidem opinione, ſub *turpitudinis atq́, obſcænitatis, ruſticanæ*, inſulſæq; numeros referri debeat. (*c*) *Lucianus, in Pſeudomante*, vocavit *Augiæ bubile*: *Seneca, libell. de Claudii Cæſ. funere*, dixit *Augiæ cloacas*: Alii *Augiæ ſtercus*: itemq; *Augiæ ſtabulum*, appellarunt, Iſta a. *Augiæ ſtabuli* repurgatio, antiquorum fabulis, refertur inter labores *Herculis*. Cum n. *Augiæ*, *Eleorum Regi*, ſtabulum eſſet ter mille boum ſterquiliniis inſigniter fœdatum,

ac ne unquam quidem repurgatum, *Hercules* rogatus, ex pacto, rupto alveo, immiſſoq; flumine, atroces iſtas ſordes depuravit; referente *Pauſania*, in *Eliacis.* (*d*) Confer, ſuper *odoris ſpiritûs* reficientis, & *ſuffituum*, utilitate, *Cæl.Rhodig. antiq. lect. lib.* 24. *cap.* 21. 22.

IV. Non igitur tanquam in ſcriblitam (*a*) ſed veluti contrà Chimæram, aut Cerberum (*b*) moventes, armati venia, (*c*) & thure (*d*) prîmum tribus, quod ajunt, verbis (*e*) etymologiam nominis excutiemus, Dicitur a. *CASEVS* (*f*) videlicet à *CASA* Undé, vel hac ipſâ nominis notatione (*g*) *Thus olere* ne poteſt quidem: Caulæ, ſive haræ, ſive *CASÆ* fuliginibus, ſordibusq;, oppido renitentibus.

(*a*) Apud *Athenæum* legitur epulo, ac catillo, quidam, *ardentem*, ſive *ferventem*, *ſcriblitam*, *ori*, *ac faucibus*, *avide*, *ingeſſiſſe*, poſteaquam hæc verba præmiſiſſet: *Sic Græci quidem contrà Trojam ibant*: & præuſtis faucibus elatum eſſe, (*b*) Veteres fabulantur, Cerberum qui placare velit, ei *tribus offis*, quas objiciat, opus eſſe: teſte *Iſidor. orig. lib.* 20. *cap.* 11. (*c*) (*d*) videſis ſupra *Theſ.* 3. (*b*) (*e*) *CASEVM* Græci τυρὸν dicût. Ejus diſcrimina aſcribuntur *Antiphani poetæ*, qui *Chloron* vocavit recentem, ac mollem: *Xeron*, ari-

aridum: *Jul Polluci* macilentum dictum: *Copron*, prædurum: *Xyſtõ*, tonſilem, ac raſilem: *Admeton*, ſciſſilem: *Pecton*, coagulatum, coloſtratumq;: *Opian*, aceſcentem: itemq; *Theſian*, gracilem, ſed latâ formâ, quaſi *feminam Cretenſibus* appellatam. *Theodorus FORMAGINEM* pro *CASEO* dixit: undè illud *Gallicanum* deſcendit *formage*, aliis *froumage*. *Ariſtoteles* voçavit *TROPHALIDA*. Apud *Columellam* dicitur *CONCRETVM LAC*, in fiſcellas, aut in *calathos*, vel *formas* transferri ſolitum. *Galenus* in digerat *LAC coagulatũ* & *GLACIATVM*, de *ſimpl. medicam. facult, lib.* 10. *p.* 151. Penes *Plautum epityrõ* venit ꝑ *CASEO ſiculo* Ità. n, Mil, Glor. act. 1. v. 24: *Ni nunum EPITYRVM edam apud illum, eſuriens in ſané bené*, *Epityrum* veró non eſt omnino *CASEVS*, ſed, ut *Varro* inquit, edulium, *Siciliæ* quám *Italiæ*, frequentius. Veſcebantur. n. plurimúm *Siculi CASEO*, quod is, ſecundum *Athenæum*, foret optimæ notæ. Nomen a. habet *Epityron*, non, quod in eo τυρὸς id eſt, *CASEVS*, eſſet: ſed, quod *CASEO* accederet. *Pollux* videtur hoc *Xeryantyrõ* vocâſſe, *Siculum edulium* id affirmans, *Athenæus* porro *hypotyrida* placentæ genus facit, fortaſſe idem cum *Epytiro*, Nam *Catatyron* condimenti nomen eſt *CASEO*: apud eundem autorem. Confer *Hermol Barbar, comment, in Dioſcorid. lib.* 11. *cap.* 79. & *Taubman, in Plauti mil. glorios.* Ab hac *Græca* voce τυ τύρυ, deſcendit compoſitum illud τυρόμενος id eſt, is, qui *Caſeum* aveiſatur, ſive *CASEO* non veſcitur, Ut fruſtra fuerit *Anatomicus* ille *Baſilien-*

ſis,

ſis, qui quidem hominem, *CASEVM* naturâ ſuâ, ac certâ cum ἰδιοσυγκρασίᾳ averſantem, ridiculé appellitabat *Abſtemium*: *vini* oſorem, pro *Caſei* hoſte, inepté interpretatus. *(f)* *CASEVM* vero, vocem *Latinam*, à *CASA* deduco, arguere facile ſit: cum is in *Caſis cauliſq;*, haud quidem in *Aulis*, *Gynacaeisque* prematur, coaguletur, formeturq;, Inde jure, meritoq;, *paſtoribus upilionibus*, *bubulcis*, atq; id genus hominibus infimæ notæ formatio *Caſei*, minime vero, nobilioribus, asſcribitur. Ecce. *n.* non *Æneæ*, non *Latino*, non *Turno*, *Regibus* illis, ſed *paſtoribus*, aſſignavit apud *Virgilium*, *Tityrus*, tanquamâ τυρῶ, id eſt, *Caſeo*, ipſe appellatus, Eclog. 1.

Pinguis, & in gratæ premeretur
CASEVS VRBI:

Ubi á *paſtoribus* id genus coaguli oriundum eſſe, aſſerit. Ibidem ruſus, ſub finem, idem Tityrus:

—— —— *Sunt nobis mitia poma,*
Caſtaneæ molles, & PRESSI COPIA LACTIS;

Ubi diſertiſſimis verbis inter *cibos, oppidò ruſticanos*, venit. Confer eundem Eclog. 2. & 5. *Tibullum lib.* 2. *Eleg* 3. *v.* 17. itemq; *Ovidium*, *in fabula polyphemi*, *Galatea* ſuæ, *LAC*, ac *CASEVM*, commendantis, *Metam. lib.* 13. *etc.* Ut neq; in *cæna Trimalchionis* illâ ſecundum 12. *Zodiaci* ſigna diſpoſitâ, apud *T. Petronium* neq; in *cæna Pontificia* penes *Macrobium*, *Saturnal. lib.* 3 *cap.* 13. enumeretur *CASEVS*, utpote *Bubulcis* proprius. Iſte neq; á *Q. Hortenſio*, neq; *Apicio*, hominibus apud *Romanos* luxurioſiſſimis (quibus de *Athenæus*

naus

neus, lib. 4. *cap.* 14. & *Macrobius, loco citato,* videri poſſunt) epulis, menſiſq;, illatus, legitur. *CASEVS* ergò *á paſtoribus*, atq; *Vpilionibus*, natus, rectè *CASAM* olet undè deducitur, aſtipulante vel ſuperior. ævi *poeta Chriſt. Lotichio*, avo noſtro, *Carmin. lib. 1.* cujus verſiculos paulum ſic mutare viſum eſt:

IMMVNDA VPILIONIS VXOR
illum
EXPPRESSIT manibus, COAGVLisq;
Hanc LACTI dedit HORRIDO figuram.

Et, ne quis, citra luculentam etiam autoritatem, hanc Ad Theſ. 4. (*f*) nos *CASEI* notationem fingere, cauſſetur, ecce, opportune huic ſententiæ (noſtræ) lucem conciliant, quæ leguntur apud diligentiſ. philoſophum, *Jo.* Henric. Alſtedium, Encyclopæd. lib. 5. Lexic. Latin. pag. 207. *CASEVS*, inquit, *A COGENDO dictus Varroni Aliis, A CASA.* Scaliger f.l. *á CASEO CARIEM* deſcendere, autor eſt, dum inquit: *CASEVS oſcum. CASEVS apud oſcos erat* παλαιὸς: *undè Caſcus, & Caſnan. CASEVS ergò LAC VETVSTVM, & coactum, & concretum. Indè Caſies, CARIES. Niſi ſit á* κάρυον καρυώδη *ſicut, vocat Theophrâſtus, quæ ſunt vermiculata* Quo facere videri poteſt Dictionarium Latino-Græco Gallicum, quod iſta habet *CASA, CASE*, καλύβη *maiſonette, logette, CASCVS, A, VM. priſcis Romanis ſignificabat VETVS: vieil, Amien, CASEVS*, τυρὸς: &c. confer infra *Theſ.* 17. (*c.*)

CASEVS igitur (hoc ut addamus *Græcis* di-

dicitur τυρὸς: unde compoſita *Tityrus, Satyrus*, homines agreſtes, ſemi-feri, *CASEVM* olentes. Atq; hinc *epityrum* apud *Plautũ* pro *Caſeo* quoq;. Videſis de *Catatyro*, & *Xery antyro*, *paulo ante* (*e*)

V. Præmiſſæ præliminari (*a*) illi definitioni, jam vera rei definitio ſuccedit. Eſt vero *CASEVS* maſſa informis (*a*), fœtida (*b*) é lactis ſcoriis (*c*) partibuſq; terreſtribus, ac recremẽtitiis (*d*), alimẽti cauſâ (*e*), coagulata ſive combinata.

(*a*) Etymologiam, ſive *definitionem nominis*, præliminarem velut definitionem rei ſuppeditare, adeoq; in rei ipſius (qua de agitur) *veram* cognitionem ſæpius deducere, quis ambigit? Exemplo res fit evidentior. *Febris* dicitur *Græcis* πῦρ, id eſt, *ignis*, a *fervore*, *igni* proximo, vel e nomine hoc igitur inſinuatur *Febrim* eſſe *paſſionem calidam*, *igni* ſimilem. In eâ n. calor naturalis mutatus eſt in præter naturalem, ſive *igneum*. Hic quoq; pariter, à nominis notatione, intelligimus, *CASEVM* rem agreſtem, atq; immundam, eſſe; cum *à CASA* deſcendat. (*b*) *CASEVM* eſſe *malſam*, cui obſcurum? *CASEVM* vocavit *LAC GLACIATVM Galen*, *de ſimpl. medicam, facult. p.* 151. *Columella* eſt *CONCRETVM* quiddam, Ovidio vocatur, Metam lib. 14.

——— *LACTIS MASSA coacti.*

Martialis nominitavit, lib. 8.

MAS-

—— *MASSAM modo LACTIS alligati.*

(*c*) Quod *é Lactis ſcoriis* combinatus ſit, pariter claret: unde *differentia propria* deſumitur. Idem dixit *Galenus*, illud, quod *é Lacte CRASSUM* eſt, cogi in *CASEOS*: *loco præcitato.* Confer *Joſeph. Quercetan. diæteric. polyhiſtor. cap. 6. p. 460.* Atque indè *Lactis maſſa* dictus eſt. (*d*) *Informem* eſſe *CASEUM*, plerumq; præ'ertim apud homines noſtrates, dubitatione haud condignum videtur. Nondum n. compertum hab-o, *Luna*, extrà nubes fulgenti, ac pulcerrimæ, *CASEI* ſpurcitiem comparatam fuiſſe: quod de puellis formoſis veteres prodiderunt. (*e*) De *fœtore* ejusce coaguli, tanquam accidente proprio, atque inſeparabili, agetur infra. *ICti* enim, & apud *Ulpianum Ariſto*, autores ſunt, ex *Taberna caſearia* in ædificium alienum, quod ſuperius eſt, fumum jure non immitti, niſi fuerit nominatim conſtituta ſervitus: alioquin vicino negatoriam actionem competere; videſis *Jac. Dalechamp. notis in Plinii hiſt. natur. lib. 11, cap. 44.* Non è floribus, non è meliori parte, *butyro* ſcil. id eſt, *Jovis medulla*, conflari *CASEUM*, ſed è retrimentis, ſcoriis, parteque terreſtri, ac nauci, coire, patebit paulò deinceps, & quidem *Theſ. 6.* ſequenti. Confer *Galenum*, *Saporem ſalſum* eſſe calidum, ac *terreſtrem*, perhibentem, *de ſimpl. medicam. facult. lib. 12. cap. 21.*

VI. Ad majorem definitionis, modò allatæ, dilucidationem, denuo dicimus,

CA.

CASEVM (*a*) ex abjectiſſima, deterrimâ, & maxime excrementitia, LACTIS parte, proficiſci. Vnde, quæ ſit ejus dignitas, & præſtantia, in cibis, tam (*b*) qua ſanos, quam qua ægros (*c*) innoteſcit:

(*a*) HOc liquet tam à priori, quàm à poſteriori. Illud: cùm è *ſcoriis Lactis*, adjecto inſuper ſale, tanquam ſtimulo, ac condimento, ſive ſalſamento, ſubigitur. Quædam, ut ajunt, mulierculæ ſive *coriandri*, ſive *cumini*, ſemina, ſive *thymum*, atque id genus herbas admiſcent. Interim *ſcapha* remanet *ſcapha*. A poſteriori nimir. eſu, uſuq;, tam terreſtris obſonii, mille morborum genera prodeunt: quibus de infrà agitur *Theſ.* 11. 12. 13. &c. (*b*) ſiquidem apud *Medicos*, *ſchol. Salernitan.* autores, dicatur *CASEVS frigidus*, *ſtipans*, *craſſus*, *durusq.*, *cap.* 37. facile determinare ſit, eum multis modis in vitio eſſe etiam *ſanis*. Inter cæteros, *CASEI* eſum, tanquam rei concoctu difficilis, etiam in *ſanis*, damnat *Henr. Rantzovius*, *lib de conſerv. valetut. cap.* 7. (*c*) Tantum igitur ab eſt, ut *valetudinariis*, ipſisq; *ægris*, prodeſſe poſſit, cùm ne quidem *ſanis* ex uſu ſit. Niſi forte, (quod quidem fecit *Galenus*, *lib. de ſimpl. medicam. facult.* 10.) *ulceribus*, *tumoribusq.*, & quidem *pedum*, medeatur. Ille n. *CASEO* haud pro *alimento*, ſed pro *topico*, & *ludicro fomento*, uſus eſt: prout hodieq; vel ſordidi quidam *Medicaſtri*, & σκατοφάγοι, *excrementis bubulis*, *ſuillinis*, *equinis*, *caprinis*, *gallinarum*, *anſerumq.*

rumq; &c. uti frui ſolent. [Interim homo cordatus, & bonæ mentis, vel ipſius *Galeni* teſtimonio, ſe abſtinet ſordidis id genus, atq; excrementitiis, remediis, cum alia, eaq; honeſtiora, cognita ſint; quibus de confer infra *Theſ.14.15.*

VII. Quæſtionem *QVID EST*, cum ſequatur Quæſtio *QVALE*, vel *QVOTVPLEX*, eſt; præmiſſa *Definitione*, jam de (a) *Diviſione*, ac (b) *Differentiis*, diſpicere opportunum eveniat. Præcipuæ vero *CASEI* differentiæ vel á diverſis ſive (c) gentibus, ſive (d) Paſcuis, ſive (e) animalibus, ſive (f) ætate, & tempore, ſive (g) præparandi modo, deſumuntur.

(a) Videſis ſupra, de *Caſei diſcriminationibus*, ex *Antiphane, Poeta* veteri, *Theſ.4 ſchol.(e).*(b) (c) ſic, ratione *Gentium*, præcipuæ bonitatis commendatur *CASEVS SICVLVS*, apud *Athenaeum, Dipnoſ.lib.14.cap.22. VESTINVS* populis *Italiæ, veſtinis* dictis *ſabinis* finitimis, apud *Martialem, lib.13. Epigr, 31.* Confer eundem de *TREBVLANO*, & *LVNENSI, ibid. epigr. 33.* Aliis alii præferuntur è variis provinciis: quibus de videri poteſt *Hermol. Barbarus, com. in Dioſcorid.lib.11.cap.79.* itemq; *Joſeph. Quercetan, diatet. polyhiſtor. cap. 6.p.462* (d) ſecundum diverſa *Animalia*, alius dicitur *Vaccinus*, alius *Ovillus*, alius *Caprinus*, alius *Aſininus*, *Equinum* [*CASEVM*] *Hippacen* vocavit *Dioſcorides.de re medic.lib.11.cap.*

Pariter *OMNEM* damnat *CASEVM* P. Ægineta, lib. de rat. victus; cujus verba ſunt iſta: *CASEVS OMNIS acris eſt, ſitim excitans, coctu difficilis, MALI Succi, calculū gignens.* Eidem ſuffragatur C. Celſus, lib 2. cap. 21. *OMNIS*, inquit, *CASEVS RES ALIENA STOMACHO eſt. &c.*

IX. Tametſi enim latitudo (*a*) quidem, ac diparitas, concedi poſſit; nihilo-minus tamen *OMNIS CASEVS* (*b*) gravis eſt (*c*) craſſioris, ac mali, ſucci, pauci (*d*) aut nullius, nutrimenti, tardæ (*e*) difficilisq; digeſtionis.

(*a*) Licet ſint, qui *CASEVM* recentem, *Infantem* dictum, inter *cibos*, quodāmodo nutrientes, referant, præeunte *Dioſcoride, de mater: medic. lib. 2. cap. 79.* quo nomine *paganis, ac foſſoribus*, concedi queat: nihilominus *uſum* ejus probare non poſſumus: 1. Quia è terreſtri materia: 2. *Sale* induratur: 3. Male concoquitur: 4. Foetore, ac coruptione, putredinem in fert. Quid? quod *Dioſcorides* refutatur ab *Avicenna*, qui ſic habet lib. 2. tractat. 2. cap. 126. *SALITVS*, inquit, *CASEVS eſt malꝰ ſtomacho, & ſimiliter NON SALITVS. In ſalito vero aliquantula expulſio. Et Dioſcorides quidem dixit, quod RECENS eſt bonꝰ ſtomacho: & illud eſt ex eis, in quibꝰ eſt ambiguitas &c.* (b) OMNIS .n. CASEVS res aliena STOMACHO: autore C. *Celſo, lib. 2. cap. 21.* Vide paulo antè *Theſ. 8.* *RECENS*, igitur, ac mollis, CASEVS, frigidi, humidiq;, tem-

peramanti eſt,& duro, ſiccoq́; , flatuoſior exiſtit: ſed eo minus aſtringit, minusq; craſſi ſucci, eſt: nihilo-minus tamen *ÆGRE CONFICITVR*,obſtruitq́; , & calculos gignit: docente *Jo. Curione comment. in ſchola ſalernitan. cap 7. pag. 64.* Indè eſt,quod, poſt alios cibos, *ultimo loco, & exiguâ planè quantitate*, ingerendus eſt: alioquin & ipſe nihilo ſecius, ac cæteri *Caſei*, ventriculum gravat,coctionem impedit,craſſos humores,atq́; flatus, in corpore,lapidemq; in renibus parit: *eodem inculcante, loco præcitato.* Confer *Scholam Salernit.* ipſã,*cap.7. P.Æginet.lib. de rat.victus; Henr. Rantzov.de conſervand.valet.cap.*7.(c)

Quia è ſequeſtra,duriſſimaq́;,*lactis* parte conflatur, terreſtreitate prævalet, ſale eduratur, atq́; *acrimoniam ardentem* acquirit.(d)Craſſa, dura,& terreſtria,parum nutrire, aut inter cibos eupeptos locum invenire,nemo dixerit: vel præeunte. C. *Celſo. lib.11. cap. 21.* Valeat igitur retrimentum iſtud foetidum, quàm ut inter nobiles, ac delicatas, concoctuq́; faciles, epulas videri debeat.(e) Quia *CASEVS* dicitur vulgò cætera concoquere,præter ſemet ipſum: iqua de re loquitur infrà *Theſ.*21. Imò verò,*Caſeum*,inter res *mali ſucci*, confidenter refert *C. Celſus,lib.*11.*cap.*21.

X Gravat ergo *CASEVS* (a) caput, gulam (b) accendit,Stomachum (c) debilitat,ſitim (d) auget, Renes (e) infarcit,Alvum (f) conſtipat,urinam (g) prohibet, craſſos, aduſtosq;, (h) & melan-

cholicos,

cholicos, humores, gignit, ſcabiemq; (i) atq; id gens mala ſexcenta, cauſatur.

(a) CAput acore, ac fœtore, tam putridi eſculenti, graviter affici, experti dicent. Plurimum n. quales *odores* hauriamus, intereſt. Tales. n. etiam *ſpiritus* in nobis evadere, proclive eſt. *Odores*. a. nimis calidi replent *Caput*, & *Catharrhum* generant. Quod. n. temperies ipſa *Cerebri* quaſi media ſit, inter calidam, & frigidam, temperatis ideoq; maximè gaudet, contrà ut ab aliis graviſſime turbetur, ac lædatur: ſuffragante *Henr. Rantzovio, lib. de conſerv. valet. cap. 4. P. 20. Phyſici* ajunt: *Saporem* corporum plerumq; poſſe ex *odore* cognoſci. *Odorem*. n. eſſe nihil aliud, quàm *ſaporem* exhalantem: licet *odor* tamen *à ſaporè* ſit ſeparabilis, ità ut *odor* poſſit eſſe, ubi quidem *ſapor* non eſt. A contrario igitur valet argumentatio. Nám ſi utique *odores jucundi Cerebro* proſunt, confortant *Memoriam*, ac *Spiritus* reficiunt, neceſſe eſt, contrarium uſu venire *à fœtoribus*. Autor eſt vel *Marſil. Ficinus*, illis, qui laborando multum. inſumunt *ſpirituum*, *tribus* opus eſſe, I. *puro aere*: II. *fragranti ODORE & 3. dulci muſica.* Illis enim *ſpiritus animales* refoveri: *lib. de. producend. vita, tractat. 2. cap. 18.* (b) Acrimonia urens, ſalina, & mordax, qualitas, citià dubium, gulam rodit: (c) Vt ſic quoque ſitim accendat: autoribus *C. Celſo, lib 2, cap. 30. P. Ægineta, lib. de rat. vict.* imprimis *Galeno, de ſimpl. medic. facult. lib. 10.* Confer infra *Theſ. 23. 24.* (d) Quod de *Butyro*

B 3 affert

affert *Mich.Savonarola*, *Patavinus*, (ſed nimis inſulsè) nimir. continuum illius uſum *Lepram* inferre: hoc potius ſuper *CASEO* dixerimus, eum craſſos, aduſtos, melancholicosq;, humores cauſſari. (*e*) *ſtomachum* debilitare ἰδιοπὸν, vide *Theſ.9. lit.(c) P.Æginet.loco citato*.&c. (*f*) Craſſa, acterreſtria, urinam ſiſtūt, acria, & urentia inflammant. Hinc, de *Caſeo*, Avicennas, lib. 2.tract.2.cap. 126: *Generat*, inquit, *LAPIDEM in RENIBVS*. (*g*) Quod è craſſo, ſalito, putrido, foetente, terreſtrium, craſſarumq; partium, nutrimento (ſi modo hoc nomine *Caſeus* vocari dignus eſt) humores pariter ſalſos, aduſtos feculentos, melancholicosq;, dum *Hepar*, ac ſanguinis maſſa, accenduntur, emergere, proclive ſit: unde *pruritus*, *ſcabies*, *elephantiaſis*, & id genus mala.

XI. Ut ut igitur, etiam *recens* atq; (*a*) *infans*, *CASEVS* probari neque at; quid de vetulo fiet, (*b*) edentulo, foetidiſſimoq;.

(*a*) DEo eo, & quidem *Recente*, velut in compendio, Diſcorides, lib. 2. cap. 79: *At qui RECENS ſalitus eſt, ſi comedatur, MINVS ALIMENTI PRÆBET, ad minuendum corpus idonus eſt, STOMACHO ADVERSATUR, ALVUM deniq, & INTERANEA, offendit.* (*b*) Idem (*Diſcorides*) *VETVLVM*, tanquā *ALVVM ſiſtentem*, *proſcribit* omninò; *loco citato*. Hic enim, ob *coaguli*, & *ſalis*, dum præparatur, injectionē, temporis progreſſu, *ACRIMONIAM* aſſumpſit, humiditatemq; omnē depoſuit: undè ipſo etiam *acrior* & manifeſte *calidior*, *ardentiorq*,

vaſis

evaſit:ob id ipſum *pejoris* quoq́; ac craſſioris, *ſucci* & *ægre concoctilis*, effectus eſt: anotante *Io.Curione*, *com.in Schol.Salernit.cap.7*.

XII. Tametſi a. de *Sapore*, & *Nutritione*, quibus deſtituitur, nihil dicamus: Novi equidem, qui ex *ODORATV* ſaltem *CASEI* putentis, ac foetidi, tantũ non illico *Cordis palpitationem*, (*a*) ſed etiam *Animi* fere *deliquium*, paſſus ſit.

(*a*) P*Alpitatio Cordis* fit à materia noxia imo etiam *afflatione* humoroſa, ac *venenata*, ſæpius, cor moleſtante, juxta *Avicen. lib. 3. fen. 2. tract. 2. cap. 1 de Cordis tremore*. Ita ut *Cordis palpitatio*, *ſive* tremor, ſit depravatus quidam, atq́; intempeſtivus, motus, quo *Cor*, extra corpus proſilire, ægrotantes queruntur: ut habet *Io. Coſtætus*, *Schol.* ad *Avicenn. locum citatum*. (*b*) *TREMOR CORDIS*, quãdo ſuperfluit, permutatur ad *SYNCOPEN*: & quãdo magis ſuperfluit, permutatur ad *MORTEM*. *Avicennas*, *ibidem*. Conatus eſt *Cordis*, ut expellat, quod noxium illi eſt, ſive hoc mala ſit intemperies, calida, frigida, humida, ſicca: vel etiam *ABDITA*, & *VENENATA*, *QVALITAS*. &, *Io. Coſtæus*, *in Avicenn. ibid.*

XIII. Certe ferunt, ex *Alphini CASEI* eſu intempeſtivo, etiam *Antoninum Pium Imp.* (*a*) primo in *Vomitum*, (*b*) dein (*c*) *Febrim*, prolapſum, tertio ab inde die (*d*) morte ſubitanea præreptum eſſe.

XIII. Certè ferunt, ex *Alpini* C*ASEI* eſu intempeſtivo, etiam *Antoninum Pium Imp.* (a)primò in *Vomitum*,(b)dein (c)*Febrim*, prolâpſum, tertio ab in de die (d) morte ſubitanea præreptum eſſe.

(a) ITa.n. habet, *in vita Antonini Pii. Imp: Jul.* Capito linus, de exceſſu ejus, cap. 12. *Mors ejus*, inquit, *talis fuiſſe, narratur. Cum ALPINUM CASEUM in cœna ediſſet avidius, nocte rejectavit atq; alia die FEBRI commotus eſt. Tertia die cum gravari ſe videret, Marco Antonino Rempublicam, & filiam, præſentibus præfectis, commendavit, Fortunamq; auream, quæ in cubiculo principum poni ſolebat, transferri ad eum juſſit: ſignum tribuno æquanimitatis dedit: atq; ita converſus, quaſi dormiret, SPIRITUM REDDIDIT apud Loriũ, alienatus in FEBRI, nihil aliud quàm de Republica, & de his Regibus, quib⁹ iraſcebatur, locutus eſt.* Confer *Joan. Cuſpinian. in vita ejus d Imp.* (b) Quia omnia *SALSA*, & *ACRIA* aliena *STOMACHO*: autore *C. Celſo, lib.* 2. *cap* 22 præſertim, ſi intemperanter avidèq;, ingeſta ſint. (c) quod C*ASEUS* in *STOMACHO*, tamq; *RECENS*, quam *VETUS*, facilè corrũpatur, ac vitietur: eod. perhibente C. *Celſo, lib.* 2. *cap.* 29. Quid: quòd C*ASEUS*, maxime *INVETERATUS*, quia in *ſalem, putrilaginemq;*, degenerat, *ACRIOR, CALIDIOR*, atq; *ARDENTIOR*, evadit: undè tantò

pejo-

pejoris, maligniorisq;, ſucci redditur: affirmante *Galeno, lib. m. m, de Caſeo, cap. 6. & de ſimpl. medic. facult. lib.* 10. itemq; *Jo. Curione, com. in ſchol. ſalernit. cap.* 7.

XIV. Ne quis autem, nos ab uno *Antonini Imp.* exemplo, etiam (*a*) *CASEO* alioquin, præcæteris, commendatiſſimo, utentis, canonem exſtruere velle, arguat, ecce! complures (*b*) porro dari, qui ex intemperanti iſtius uſu eſuq; vitam cum morte commutarint, in confeſſo eſt.

(*a*) E Cæteris, laudatiſſimum fuiſſe *CASEUM* iſtum *Alpinum*, (alii *Alphinum* vocant) ſicut erat *Romæ CASEUS Vatuſicus*, teſtis eſt *Galenus*, *de aliment. facult, lib.* 3. Si igitur commendatiſſimus iſte mortem in olla, ut ajunt, habet: quid fiet, te rogo, cum cæteris, & quidem notæ peſſimæ! (*b*) Præter *Imp. Antoninum*, complures inſuper, & magnos viros, intempeſtivo *CASEI* eſu, Periiſſe, teſtis eſt, inter cæteros, autor, fide dignus, Joſeph. Quercetanus, diæteric. polyhiſtoric. cap. 6. p. 463. *Vſq; adeò* inquit, *CASEI uſus vulgatus eſt, & frequens, multis in locis, ut SABAUDIÆ etiam, & HELVETII, tam inferioris, quam ſuperioris, ordinis, ferè nullo alio obſonio quam eo ſolo, utantur. Sic quoq; non-nulli olim, SVMMÆ DIGNITATIS VIRI, ex ejus liberaliori eſu, MORTEM SIBI CON-*

SCIVERUNT. Teſtis eſt Antoninus Pius Imp. qui, cum ALPHINO CASEO in cœna plus, quàm par erat, indulgeret, poſt VOMITUM, FEBRE correptus, eâ tertio die extinctus eſt: anno Imperii ſui vigeſimo tertio. Quod EXEMPLUM ABSTERRERE DEBET OMNES, qui CASEO nimis indulgere, & exſatiari, avidius cupiunt. Hæc ille.

XV. Profectò, ſineq; *MELLIS* ſequeſtram illam partem, quam (*a*) *CERAM* vocamus, intus aſſumimus; ſi neq; *VINACEIS* (*b*). *uvarum* partibus rejectiis, veſcimur: cur eâdem operâ ne *LACTIS* quidem retrimento, *CASEO*, inquam, noſmet (*c*) abſtinemus.

(*a*) QUis *Glandibus* hodieq; veſceretur, repertis *Frugibus*? Quis, dum *Nucleum* concupiſcit, *Putaminibus* ſatiari velit? (*b*) *Vinacea* in uſum brutorum cedere, adeoq; pedibus, ex dolore *podagræ* detentis. mederi: inter cæteros, teſtis *Mich. Majerus, lib. de Arthritide*, (*c*) Certè, vel ipſe, *Medicorum noſtrorum* anteceſſor, *Galenus*, tam ob *ACRIMONIAM*, quàm *PUTREDINEM*, omninò damnavit *eſum CASEI*, eoq; duntaxat, pro *Topico*, uſus eſt. Verba ipſa tanti *Medici*, & *Philoſophi*, iſta quidem ſunt, de ſimpl. medic. facult. lib. 10. *Porrò* inquit, tum hi, tum reliqui, *OMNES* (*CASEI*), temporis ſpacio, *ACRIORES tibi apparebunt, ſive guſtes, ſive olfacias, Itaq;, cum mihi olim* CASEUS *allatus eſſet*

eſſet BVBVLUS, *quem ex* ODORE ACREM *eſſe conjiciebam* ABIECI: *& jam à famulis abſumptum putabam. Cæterum illi talia ſervare ſoliti, longo poſt tempore ex promptuario proferentes, quidnam de illo fieri juberem, rogant. Cum igitur* EDENDO NON ESSET, *propter* ACRIMONIAM, LVDICRVM *nobis* PROBLEMA *extitit, proponentibus, cui* REI *Quis* ILLVM VTILITER POSSET ACCOMMODARE? *Intereà cum ad me* ARTHRITICVS *quiſpiam in curru convectus eſſet, tophos, quos Græci* πώρους *nuncupant, in articulis habens: ſubiit mihi, crure ſuillo ſalſo, quod erat intus, decocto,* CASEVM *eo decocto macerare, ac probè in mortario ſubigendo unitum tophis imponere.] Et ſanè arthriticus ab hoc medicamine magnificè adjutus eſt. Nam rupta ſponte ſua cute, abſq; inciſione videlicet, effluxere quotidie; citra dolorem tophorum particulæ.* &c. Et, ne quis fortè CASEVM RECENTEM, apud hunc *Galenum*, meliori loco fuiſſe, ſomniet audiat eundem, in ſequentibus: *Porrò,* inquit, RECENTEM (CASEVM) *qui* INVETERATO *contrarii eſt temperamenti, quandoq; homini,* IN AGRO DEGENTI, *moderatæ magnitudinis* VULNUS *habenti, impoſui, anteà videlicet ad levorem tritum. Extrinſecus autem illi impoſui folia lapathi. Poſſint verò etiam, ſi hæc non adſint, folia ſuperponi vitis, aut platani, aut betæ, aut Lactucæ. At ipſe quidem* CASEVS VULNUS *glutinavit, eratq; etiamnum mollis* &c.

Videte

Videte, vos rogo, quid magnus ille Medico-Philoſophus contribuat *CASEO*, tam *RECENTI*, quàm *VETERI*! ut ne eſu quidem utrumq; dignum cenſeat, ſed *Vulneribus*, *Tophisq;*, & quidem in hominibus *plebeis*, ac *foſſoribus*, adhibeat! Quid? quod, eodem tempore, tam *VETEREM*, quàm *RECENTEM*, *CASEUM*, inquam, contrà *Apoſtemata, puſtulas, Vulnera*, atq; *Ulcera*, pariter adhibet, atq; inducit, *Arabum Medicorum* primus, & princeps *Avicennas, lib.* 2. *tract.* 2. *cap.* 126.

XVI. Atq; ut aliquid ſaltem de horribili iſtius (*a*) putredine obiter aſpergam: veteres olim cadavera (*b*) in impuris habebant, itemq; purgamenta, (*b*), Cur igitur melior, nobiliorq; *conditio CASEI*? (*c*)

(*a*) (*b*) *Cadaverum, purgamentorumq;*, contactum, interdictum, atq; in vetitis, abominandiſq; fuiſſe tam è *ſacra pagina*, quàm vel è *Satyrico Petroniano*, inter cætera, innotuit. (*c*) *Excrementa humana*, non ſine honoris præfatione nominanda, in obſcænis eſſe, præmiſſum ſupra, in limine, videl. *Theſ.* 1. & 2. Laudo elegantem, & civilem, *Galenum*: qui nec *humanam* quidem *urinam*, vel *pueri* quoq; tametſi graviſſimo in morbo, viro honeſto deguſtandam eſſe, judicavit rectiſſimè. Ita. a. ille, de ſimpl. remed. facult. lib. 10. de urina humana, p. 153. *Nam URI-*

NAS

NAS ILLAS, inquit, *DEGVSTARE*, *planè eſt ABOMINANDVM: cum ne pueri quidem urinam VIR quidam, HONESTVS vitâ pariter, ac moribus, ebibere ſuſtinuerit, cum PESTIFERE ægrotaret in Syria, ubi, cum multi urinam, puerorum ſimul, & virorum, hauſiſſent, ſe ſe hinc ſervatos credebant.* Quis igitur cum *CASEO*, etiam hnmanâ *urinâ* pejus fætente, gulæ-contuberni-um habeat?

XVI. Adde iſtis, omnia putrida, fætida, immo (*a*) vermiculis ſcatentia, homines plurimum, atq; ſerio abominari. Contrà *CASEI* putorem (*b*) omnes propemodum amplectuntur, putredinem in deliciis habent, ut etiam (*c*) vermiculos, atq; aſcarides, facto vel globo, pilularum inſtar, devorare comperiantur. Quid vero, te rogo, aliud, niſi morbus, hic eſt?

(*a*) ITa quidem habet Galenus, de ſimpl. medic. facult. lib. 10. cap. 22. *Quorundam*, inquit, *corporum, etiam non guſtantes, qualitatem cognoſcimus, velut FIMI: proinde omninò ne guſtare quidem aggredimur. Quia ſcilicet admodum FIDES habeatur ODORATVI. Quin etiam, ſi qua boni odoris edulia, putrilagine corrupta, odore nos offendunt, protinus ea abjicimus, HAVD GVSTARE DIGNATI* &c. (*b*) Non ſolum igitur vitioſi, virulentiq; *HVMORES*, *Ex corruptis*

ruptis

ruptis *ALIMENTIS*, corporibus innaſcuntur; ſed, præter aliquot *LUMBRICORUM* differẽtias, varii generis *ANIMALCULA* in viſcerum latibulis pullulant. ediſſerente *Lev. Lemnio lib.* 2. *cap.* 40. Quodſi n. Ex *PUTREDINE, LIMACES, COCHLEÆ MURES*, ex fimo bubulo *SCARABÆI, FUCI, VESPÆ*, ex aëreo madore, humoreq; roſcido, *ERUCA, PAPILIONES, FORMICÆ, LOCUSTÆ, CICADÆ*, progerminant: cui abſurdum videri poteſt, *IN CORPORIBUS HOMINUM, E SIMILI CAUSA*, tale quid generari. Præſertim, cum efficacior hîc rat o ſubſit, quæ huic rei cauſam præbeat, ac ſeminarium. *Idem ibid.*. (c) Videſis, ut è pituitoſa, craſſa, crudaq;, materia, *VERMES*, atq; *LUMBRICI*, omnes trahant originem apud *Adrian. Spigel. lib. de lumbric. lato, cap*, 8. utq; *Aſcarides VERMICULIS* illis, in putri *CASEO* naſcentibus, aſſimilentur: apud *Melch. Sebitzium diſcurs. de Adoleſcente Argentinenſi, à ſerpente occiſo.* An igitur aliud ex ipſismet *Aſcaridibus* devoratis, quàm *Aſcarides*, exſpectandum ſit, ignoro.

XVII. Illud quoq; admiratione dignum accedit, putrida, (a) fætidaq; omnia ſingula nos de induſtria fugere, adeo ut neq; (b) pedibus attingere, multo minus manibus palpare, ſuſtineamus. Quis autem non appetit, apprehenditq;, immo

in

in os, gulam, præcordia, ac ſtomachum, velut inſania quadam intrudit *CASEUM*, utiq; rem teterrimam *(c)* fœdiſſimamq; ;

(a) P*Utrida, fœtidaq;*, tanquam ſummè averſanda, comprehendiſſe, vel *Epigrammate* illo, videtur *Martialis*, *in Baſſam*, ſcortillum fœdum, ac graveolens, *lib.* 4. *Epigr.* 4. ubi hyperpolicôs ſic invehitur:

Quod ſiccæ redolet PALUS lacunæ,
Crudarum NEBULÆ quod Albularum,
PISCINÆ vetus aura quod marinæ,
Quod preſſa piger HIRCUS in capella,
Laſſi BARDIACUS quod evocati,
Quod bis murice VELLUS INQUINATUM,
Quod IEIUNIA SABBATHARIORUM,
MOESTORUM *quod ANHELITUS reorum*,
Quod ſpurca MORIENS *LUCERNA Ledæ*,
Quod CEROMATA fece de Sabina,
Quod VULPIS FUGA, VIPERÆ CUBILE,
Malles, quàm quod oles, olere, Baſſa.

Quis autem iſta omnia, immò, paulò graviora, in *CASEUM* ſtringi poſſe, inficias eat, maximè cum teter ejus fætor, & *Cordis palpitationem*, & *ſyncopen*, inferere ſatagat ? prout viſum ſuprà *Theſ.* 12. (*b*) Quis *lutum* libenter calcat ? Quis in *aumario* cum voluptate verſatur ? Quis *picē* ? quis

retri-

retrimenta manibus libenter tractat. ? Si igitur vel etiam *frumenta, legumina, carnes ova, butyrum, fructusq;*, atq; id genus alimenta alia, quæ vel ſitum, vel rancorem, ac putredinem, contraxerunt, repudiántur à nobis, quod morbos intus, humores corrumpendo, *putredinem, peſtemq;*, aliquando excitent; cur eâdem operâ non CASEO abſtinemus, tanquam re graveo lente, putrida, corruptâq; putredinem vel ipſo fœtore manifeſtante? (c) Barbarum iſthoc eſculentum vel barbaros olim populos, ſive *Scythas*, ſive *Germanos* vetuſtos, ſub tentoriis habitantes; inq; ſaltibus ab *Animalium* lactibus viventes, inveniſſe, credibile eſt. Cujus rei aſſertioni, inter cæteros, opportune ſuffragatur Georg. *B*uchananus, rer. Scoticar, lib. 1. pag. 24. de *Danis* & *Norwegis*, piſcis, ab *Alexandro tertio, Scotiæ Rege*, devictis: ubi ferinos iſtorum mores, & *CASEI* uſum, pluſquã barbarum, deſcribit ſequentibus: *In victu*, inquit, *veſtituq;, totaq; rei domeſtica ratione, antiquâ utuntur parſimoniâ. Obſonatio illis eſt venatus, & piſcatio. Carnem, aqua in omaſum, aut caſi pecoris pellem, infuſa, coquunt. In venationibus interim ſanguine expreſſo crude veſcuntur. Pro potu eſt jus carnium elixarum. SERUM LACTIS, ALIQUOT ANNIS SERVATUM, IN CONVIVIIS, etiam avide, BIBUNT. Id potionis genus Blaëdium appellant. Major pars aqua ſitim ſedat.* Hæc ille. Certe elegans, inquam, (ſi Diis placet) eſt illa porro inventio, atq; expreſſio, *CASEI*, Scythis olim familiaris, ac conſueta

ſueta, ut tam ſeriâ abominatione, quam riſu uvideatur digniſſima. Ita. a. de *Scythis*, & *CASEO*, Herodotus, lib. 4: O*rbant*, inquit, *SCYTHÆ SERVOS, lactis gratiâ, quod potant, ita id facientes. SVFFLATORIA OSSA, fiſtulis ſimilima, ſumũtur eaq; GENITALIBVS EQVARVM impoſita ore INFLANTVR, hoc aliis facientib⁹, alii equas emulgent. Hoc ideo ſe facere, ajunt, quod VENÆ EQVARVM SVFFLATÆ IMPLENTVR, & mammæ deſcendunt. Poſteaquam emulxere lac, in concava vaſa lignea diffundunt. His circumpoſiti cæci LAC agitant: cujus, quod ſummum eſt, delibatur, pretioſiusq; habetur: vilius autem, quod ſubſidit. Hujus rei gratiâ SCYTHÆ, quemcũq; capiũt, viſu orbant. Non enim agricolatores ſunt, ſed paſtores* Confer, ſuper hoc *Equino lacte*, dicto *Hippace*, *Hippocratem*, *Herodoti* coætaneum, *lib. de aere, aquis, & locis, itemq; lib. 4. de morbis*: pariterq; *Hieron. Mercurialem variar: lection lib. 1 cap. 26.*

Interim gentes etiam *Barbaras CASEO*, tanquam re abjecta, minime uſos eſſe, tradunt: tam etſi in jucundum nihilo minus acorem *Lac* coëgiſſe legantur, quod *oxigala* vocitatũ eſt. Eædem gentes *CASEI* genus, *SAPTVM* dictum, familiare habuerunt, quaſi *PVTREM* dicas: ut eſt apud *Hermol. Barbarũ, com. in Diſcorid. lib. 2. cap. 79.*

XIIX. Quid vero nobilem hominis *ANIMVLAM* (*a*) intus ſtatuere, ac cogi-

 tare,

tare, arbitremur, quæ, tam indigno, barbaro, ac foetido, retrimento, hoſpitium ſuum ſingulis ferme diebus perturbari, ac proſtitui, ferre debet.

(*a*) EO modo hæc intelligi volumus, quo dixerat Plato: *ANIMAM OMNIA NOSSE*: vel *ANIMAS*, *rationes*, *ſermonesq;*, ex ſemet ipſis promere, atq; ſolo ſuſcitante quopiam in digere. Itaq; neq; ſic erunt *Tabellæ literarum vacuæ*, quæ extrin ſecus figuras accipiant. Sunt n. ſemper in ſcriptæ, & ipſe ſcriptor eſt intus: Prout philoſophatur *Cal. Rhodiginus, lib.* 20. *cap.* 9. *p.* 206. Pariter ferme *Vlyſſes*, ſub ignoto habitu, ad *Penelopes* aulam reverſus, cùm à procis uxoris multa indigna proferret, ita *ANIMULAM* ſuam, tanquam audientem, intelligenteq;, alloquebatur. *TOLERA MI ANIME.* apud *Homer. Odyſſ. lib.* 20. *v.* 19. Quo ſpectat & illud, è recentioribus noſtris, optimi, & cultiſſimi, *Poetæ*, inter *ſuſpiria*, *&* *lacrymas*, ad *ANIMUM* dicentis: *O ANIME! infelix non potes eſſe diu.*

XIX. Qualia igitur ſunt alimenta (*a*) tales humores: cujus-modi humores (*b*) ejus modi ſpiritus: quales deniq; Spiritus (*c*) tales ipſius *ANIMÆ* operationes, comperiuntur.

(*a*) Quo-

(*a*) QVod ex *Alimentis* alterantur, nutriuntur, corrumpunturq́; humores. videſis *Theſ.* 16. (*b*) *Sennert Inſtitut medic. lib.* 2. *part* 2. *cap.* 3. Sic bonum, ac laudabile, *Alimentum*, laudabilem ſuccum atq́; *Humorem*: contra malum ac corruptum, corruptos itidem *humores* generat: præeunte exemplo *nutricis*, infantem lactantis apud *Galenum*, *m. m. lib.* 7. (*b*) *Spiritus* eſt ſubtilor pars ſanguinis: qui, è victu genitus, & à fontibus *Iecore* ſcil & *Corde* tanquã per venas ac canales, in omnes corporis partes diſpergitur: *Fuchſius*, *Inſtit. Medic. lib.* 1. *ſect.* 6. *cap.* 4. Confer *Galenum. de ſimpl. medic. facult. lib.* 1. *cap.* 8. *Spiritus* eſſe *Animæ* operationes, ſive actionũ inſtrumenta, nemo apud *Medicos noſtros* facile negat: perhibente *Fuchſio*, *Inſtit. Medic. lib.* 1. *ſect.* 8. *cap.* 2. *p.* 281.

XX. Cum igitur etiam iſtis *AMIMA* (*a*) forte foeteat (hæc. n. aliquid corpori (*b*) compatitur) mature, vel à tanto morbo, cavendum: vel, exemplo *Antonini Imp.* illius, A*NIMÆ* exceſſus præmetuendus, *fuerit*.

(*a*) ITa quidem loquitur *Plautus*, *Mercat. act.* 3. *ſc.* 3. *Et Medici noſtri* dicunt *ANIMAM FOETERE*; quando videl. *Anhelitus* ſœtet: qui alias *oris foetor* dicitur. Atq́; hic, inter cæteras

Agrou, *Medicus Athenienſis* nobilis, aliiq; excitatis ſuffitibus. exemplo *Hippocratis*, *PESTEM* fugârunt: referente *Cal. Rhodig. lib. 24. cap. 22:* Confer, ſuper omnis generis *foetoribus* .atq; *efflationibus*, tempore *peſtis*, ut etiam *fructibus*, *alimentisq;*, ad putedinem iuclinantibus proſcribendis inter cæteros, *P. Foreſtum, de fer. peſtil. lib, 4. Schol. obſ. 9. & 11. Georg, Agricolam, lib. de peſte, P. Bayrum:* aliosq;, bene multos. (*b*) Cæl. Rhodiginus, antiq. lect. lib. 2, 4. cap. 21. p. 1357. *Cum uterq;*, inquit, *ODOR videlicet*, *& SPIRITVS*, *ſit vapor quidam*, *& ſimile ſimili nutriatur*, *nimirum & ſpiritalis homo*, *plurimum odoribus occipit alimentum.* Et deinceps: S*PIRIT* V*M vero* ODORI*BVS NVTRIRI*, *argumento eſt*, *quod VINVM odore plenum*, SPIR*ITV*S S*VBITO* RECRE*AT: quem cætera vix tandem poſſunt reficere. Propterea*, *primo de Ponto*, *ita cecinisse videri Ovidius poteſt:*

Et jam DEFICIENS ſic ad tua verba revixi,
Vt ſolet infuſo VITA REDIRE MERO.

Confer, de *Suffitus*, atq; *odoris*, mirâ utilitate, *eundem ibidem*, *cap. 22. in limine.*

XXII. Certé (ſi *parva licet componere magnis.*) dubitare quis opportuné poſſit, utrumne apud nobile *Imperii Emporium* illud, *Francofurtum*, inquam, Crebrius aer (*a*) contaminari, (*b*) PESTIS q; Contagium uſuvenire, amet, é ſentina

omnis generis putidiſſimi *CASEI*, qui quidem non unâ, atq; integrà, aliquâ tantum taberna, ſed totis viis, ac mercatibus, totoq; foro, labem inſinuat, multosq; mephiticis iſtis afflatibus præoccupat, atq; in morbos præcipitat. USq; adeo, (quod præfiſcini dicendum.) niſi loco injuria fiat, *Romanorum* imitatione (c) *SCELERATAM*, ac funeſtam, *VIAM* iſtam vocitare poſſis. quam *NEMO BONUS*, absq; nauſea, & cordolio, *NEMO SANUS*, absq; metu infectionis, ac contagii tranſire ſuſtinet.

(a) FOetor eſt qualitas, orta potiſſimum ex reſolutione, & putrefactione, ejus, quod ſiccum erat: *Magirus. phyſic. lib 6. cap. 9. th. 15.* (b) cum gitur oriatur potiſſimum è putrefactione, fit corruptionis naturæ, defectusq; caloris naturalis autor: immo *AEREM INFICIT*, ſpiritus animales corrumpit, vomitum, ac nauſeam, provoca, *DOLORES CAPITIS* generat, immo aliquando *SUBITANEAM MORTEM* provocat. *Barth. Anglicus, de rerum proprictatibus, lib. 19. cap. 39.* (c) *Romæ VIA*, ubi *Tullia* (quo ſuper invaſione regni *Tar-*

Tarquinio marito, gratularetur) ſuper parentem, in vico iſto jugulatum & humi jacentem, conſternatos equos transegiit, olim *SCELERATA* dicta erat: autore *Dionyſ. Halicarn. lib. 4.* Pariterq;, quà *trecenti Fabii*, pro patria pugnaturi, exeuntes, apud *Cremeram* ceciderunt, vocata eſt *PORTA SCELERATA*: ſuffragante *Floro, lib. 1. cap. 12.* Vsq; adeo vero *forum* iſthoc (*Caſearium* horendum foetere compreitur, ut, præ intolerabili graveo lentiâ, aliquis per imprudentiam, (honor eſto pietati!) modo ſubito tranſire poſſit, vel in cariſſimos quosq;, offendere, atq; in currere, ſatagat.

XXIII. Atq; his, aliisq;, de cauſis, minime quidem inſolens videri debeat, tam elegantem (ſi Diis placet:) *CASEVM*, ab antiquis iſtis ſeculis, ac ſcriptoribus, vero elogio, genuinoq;, atq; ex merito dato, epithetoillo, *κατ' ἐξοχὴν* (*a*, *NEQVAM appellatum eſſe.*

(*a*) INter veteres, vel *CASEI MALITIAM* accuſavit *Avicennas lib. 2. tract. 2 cap. 126* Confer ſupra. *Theſ. 9.* (*b*) *Theſ. 15.* (*c*) E recentiorib⁹, bene multis, *CASEI NEQVITIAM* ſequẽtibus perſtrinxit Jo. Baptiſta Montanus,

tanus, Medicin.pract. part. 2. p. 478. *Dicebat*, inquit. *Plinius, quod Locuſtæ tarde coquantur, CASEI duri QVALITATEM, LONGE PEIOREM, habent. Caro ſalita ultra terreſtreitatem, quam habet caro bovina, etiam acrimoniã habet, unde ſuâ naturâ exſiccat. Hic CASEVS exſiccat, & alimentum ſiccum prabet, ratione tum SALSEDINIS, tum ACRIMONIÆ, NEC POTEST BENE, ET SVFFICIENTER, CONCOQVI. Quia ACRIMONIA ſuâ ſtimulat ventriculum ad expulſionem, antequam concoctio ſit facta: ſimiliter & CARO SALITA.* Atq; ſic vera, ac ſolida, illa patet cauſſa CVR CASEVS, DICATVR NEQVAM? Nimirum, quod & concoctu ſit difficilis, & acrimonia ſua *Stomachum* inritet ad expellendos cibos, nondum concoctos. Sed, prolixius porro etiã eandem hancce *Qæſtionem: CVR CASEVS NEQVAM Sit dictus?* velut ex profeſſo, ut vocant, expedivit Ioan. Michael Savanorola, tract. 2. cap. 3. de rebus non natural. rubric. 13. cujus verba iſta ſunt: *Eſt dubitatio*, inquit, *VTRVM CASEVS SANIS CORPORIBVS CONFERAT, AN NOCEAT? ET QVOD NOCEAT, arguitur autoritate, Hippocratis, & Galeni, 4. regiminis Acutorum, in fine, ubi aſſerit: CASEVM eſſe generativum ventoſitatum, OPPILATIVVM, & quod acceſſionem cibariorum facit, & humores crudos generat.* &c. Et mox ſubjungit: *Et Iſaac, in diætis particularibus, circa finẽ: CASEVS inquit*, VNIVERSALITER

PES-

PESSIMVS, *ſtomachi gravativus, digeſtioni difficilis. Et 2. Canon. ut ſupra; Generat lapidem in Renibus. Et Galenus, in libello, de euchymia, & cacochymia.* SVNT CASEI OMNES CRASSORVM HVMORVM GENERATIVI. *Et 3. de Alimentis, cap. de Caſeo: Et* OMNIVM CASEORVM COMMVNIS ACCVSATIO *eſt, humorum cacochymiam generare.* Quibus ipſe autor mox ſubnectit ſententiam propriam, CASEVMq́ꝫ conſimiliter, maximè jugiter comeſtum, (qui cibus, ut ait, *ſclavorum* eſſet) damnat ſequentibus: *Pro his*, inquit, *breviter dicendum, quód* CONTINVVS VSVS CASEI MALVS *eſt, &* AB AVTORIBVS BLASPHEMATVS, *maximè, in non conſuetis. Nam in his, qui aſſueti ſunt, ut* SCLAVONES, &c. *ſecus eſt; Et hoc voluerunt* AVTORES, *dum* CASEVM NON LAVDAVERVNT. Quibus poſtmodò addit: *Et in ſumma*, inquit, NOCET ASSVETIS, *nec eo pueri nutriri debent, &, ſi eo continuò utuntur, inducit oppilationem viſcerum, febres putridas, hydropiſin Generat, a. lapidem in renibus, & dolorem iliacum, & cholericam poſſidere facit. Et, ſi fuerit multum ſalſus, interdum, in corporibus diſpoſitis, veſicæ excoriationem inducit: &, quod deterius eſt,* EX SE INFIRMITATES CONSVRGVNT EX VSV EIVS CONTINVO. &c. Hæc *Italus* ille. Idem, inter *cibos difficilis digeſtionis*, itemq́, *generantes malos humores*, nec non *cibos, parum nutrientes*, refert CASEVM, *tract. 3. cap. 9. cap. 11. rubric. 2. 4. & 11.*

XXIV. Quod igitur vetus *poëta Simonides* prodidit, in *Carmine*, de *MVLIERIBVS NEQVAM*, & peſſimis: (*a*) *Infelicem illum*, inquit, *Virum, quisquis TALE MONSTRVM* amplexu fovet, profectò infortunâtos, (*b*) quartaq;, ut ajunt, pluſquam Luna natos, ego quidem bené dixerim, quicunq; tam horribile, fœtidumq; *MONSTRVM, CASEVM*, *inquam*, *tantum non in oſcula*, *atq; amplexus*, *immò verò intus*, *atq; ipſa intrà præcordia*, *vitaliaq; membra*, *admittunt*, *accipiuntq;*.

(*a*) ITà habet, apud *Stobæũ*, Simonides, *poëta Lyric⁹* vetuſt⁹, *Carm. de vituperio MVLIERVM*, vertente è Græco G eorg. Buchanano:

——————— *Quâ Jupiter*
Non tribuit homini PESTILENTIVS, MALVM.

Et deinceps
O TALE MONSTRVM *quisquis ãplexu fovet.*
Miſerum maritum! ———————

(*b*) *Quartâ Lunâ nati* dicuntur laborioſi, atq; infelices: *Cæl. Rhodiginus, lect. antiq. lib.* 20. *cap.* 3. *Deſid. Eraſmus, in Chiliad. Adag. Aliiq;*.

XXV. Quam iſtam ſive *CASEI NEQVITIAM*, ſive vitioſitatem, exundare inſuper vel hoc *potiſſimum facit*, dum iſte partes, generationi dicatas, quibus viri

ſu-

ſumus, (*a*) elanguidas, atq; *lorum* (ut ajunt) (*b*) *in aqua habere*, cauſſatur.

(*a*) QUæ igitur matrona diligat *ELVMBEM* CASEVM, cum *VIROS ELVMBES* faxit? Veteres craſſiori *Minerva* id eſt, *Priapeio* ferè carmine (ex illis, qui laſcivioribus *Muſis*, *Veneribus*, ac *Cupidinibus*, potius, litârunt,) olim invectos eſſe, liquet, dum, horridiori paulò vocabulo, *CASEVM ABBREVIARE*, prodiderunt. Pro petulanti ergò, lippis, ambubajisq; minus verò caſtis auribus, digno, (quem L. M. Q. omitto verſiculo, qualis in triviis aliâs occinitur, paulò, ut videtur, honeſtius iſthoc metrum ſubſtituere allubeſcit:

CASEVS ABBREVIAT, quaſinus, ARMA, tegit.

Siquidem n. materia hæc ſub *Medicorum noſtrorũ* diſciplinam pertineat, ideoq; res naturales, generationiq; dicatæ, omninò præteriri nequeant, vel modeſto ſaltem rerũ neceſſariarũ atq; ad inſtitutum pertinentium, ſupe inducto improbari vix poterit. (*b*) De eo, nimirum quid ſit, *Lorũ in aqua habere* conſule *T. Petronũ*, *in Satyrico*, & *Martialem*.

XXVI. Quod ſin. (velut hodieq; cum *fumo Tabaci* paſſim uſu venit) furor, atq; veſania, hoc vult, ut veterum, *Scytharum*, *Barbarorum* & itemq; (*a*) *Paſtorũ*, atq; *Vpilionum*, retrimenta, ac quisquilias, (*CASEVM* inquam,) in menſas, ac Ventriculum, ingeramus. citius, ſatiusq; extiterit, vel excluſis

VINO

VINO, CEREVISIA, PANIBVS, CARNIBVSQVE, &c. ad *radices*, (*b*) *glandes, mora ſylveſtria, legumina* ipſamq; *aquam*, ê profluente hauriendam, bibendamq;, proſcriptâ omni meliori vita, ac cultu, poſtliminio redire.

(*a*) PHrygium *CASEVM* ex *equino*, & *aſinino*, lacte, confici ſolitum, ſcribit *Ariſtoteles*. *HIPPACEN*, ſive *CASEVM EQVINVM*, *Scytharum* inventum eſſe, autor *Hippocrates*. Confer ſupra, de *HIPPACE*, *Dioſcoridem*, *lib*. 2. *cap*. 80., & *Hermol. Barbar. in Notis*. Paulò antè *CASEVM, SLAVONVM CIBVM ESSE*, præmiſſum *Theſ*. 23. (*a*) Antiquis iſtis, rudibusq; populis, *frugibus* nondum repertis, neq; *vino*, &c. à *Natura* ipſamet, tanquam cibos parabiles, exhibita fuiſſe paſſim *olera*, *mora*, *in rubetis pendentia*, *Glandes*, *Aquasq*, *fluviales*, Confer *Lucretium, lib*. 5. *rer Natural*, *Tibul. lib*. 2. *Eleg*. 3. *Propert. lib*. 1. *Eleg*. 9. *Iſidor. Origin. lib*. 17. *cap*. 7. *Spartianum*, *in Peſcen. Nigro*, *cap*. 7. Alios: itemque vel notas noſtras in *fragmenta Petronii*, ſuper illis verbis: *Flumine vicino ſtultus ſitit*. &c.

XXVI. VALEAT, igitur, atq; *ad CASAS, HARASq*, unde prodiit, redeat *CASEVS*, vix nominãdus, ne dicam, tolerandus! Quandoquidem (ut eleganti, condigno, atq; ex meritis impoſito, epiphonemate iſto huncce ſermonem

con-

concludamus) ab antiquo huc uſq;:

CASEVS EST (a) NEQVAM.

Qui deterit omnia, ſe quam.

(a) VEterrimum, ac rectiſſimum, hoc eſt *CASEI* encomium, *NEQVTIÆ* iſtius ex aſſe datum, debitumq́; : quo de confer *Joan. Curion. notas in Schol. Salernitan. cap. 6. de vitandis cibis*; *Savanarola* vocat *CASEVM BLASPHEMATVM, ILLAVDATVM,* immò *VNIVERSALITER PESSIMVM*! prout habetur *Theſ.* 23. &c. Itaq́;, quod olim, ſicut hodieq́; *Judæis* obicitur: *TV RVCTAS ALLIA.* indicium perhibentibus *Ovidio de remed. Amor. lib.* 1. *&* *P. Lotichio* Sec. *in Juvenilibus*: *quod Turci* ſibi invicem vitio dant: *TV EDISTI OPIVM.* autore P. *Bellonio, obſerv. rar. lib. 3. cap.* 15. *quodq; Itali* illud ſuum *Ti Imbriaco, Germanis* noſtris etiam nunc exprobrare ſatagunt: *TV BIBISTI VINVM*, idem, inquam ego, iſtis, quicunq́; *Lactis* id genus ſcoriis, ac retrimentis, continuo operam dant, ut abinde *ructent, fœteantq́;*, pariter, oggerere fas ſit; *TV EDISTI CASEVM?* Iſti ergò, quod ab antiquis *Autoribus*, non fruſtra, aut temere, datum eſt, elogium, deinceps noſtrâ quoq́; conceſſione, ſartum, tectumq́; conſtet. videl. hoc; quod tale eſt:

CASEVS EST NEQUAM. *Quia deterit omnia ſe quam:*

Hoc igitur MONSTRVM *qui fugit, ille ſapit.*

F I N I S.

A 0 ½
)869

Digitized by Google